Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammelhandschrift - Cod. Lichtenthal 7

Langton, Stephen

Frankreich (?), [13. Jh.]

Das Buch Rut

urn:nbn:de:bsz:31-35356

Visual Library

andtu oð filij beniamin

galaad quadringentas uirgines. que nesci
erunt uiri thorum. et adduxerunt eas ad ca
stra in silo in terra chanaan. Miseruntque nun
cios ad filios beniamin. qui erant in petra
remmon. et preceperunt eis ut eos in pace
susciperent. Veneruntque filii beniamin in illo
tempore et date sunt eis uxores de filiabus
iabis galaad. alias autem non repererunt
quas simili modo traderent. Uniuersusque ualde do
luit. et egit penitudinem super interfectione
unius tribus ex israel. Dixeruntque maiores
natu. Quid faciemus reliquis qui non acce
perunt uxores? omnes in beniamin femi
ne conciderunt. et magna nobis cura in
gentique studio prouidendum est. ne una tribus
deleatur ex israel. Filias nostras eis dare non possu
mus. constricti iuramento et maledicti
one qua diximus. Maledictus qui dedit
de filiabus suis beniamin uxorem. Ceper
unt consilium atque dixerunt. Ecce sollempnitas
domini est in silo anniuersaria. que sita est ad sep
tentrionem urbis bethel. et ad orientalem
plagam uie que de bethel tendit ad siche
mam. et ad meridiem oppidi lebona. Pre
ceperuntque filiis israel. beniamin atque dixerunt.
Ite et latitate in uineis. Cumque uideritis fili
as silo. ad ducendos choros ex more procede
re. exite repente de uineis. et rapite ex eis sin
guli uxores singulas et pergite in terram be
niamin. Cumque uenerint patres earum ac fratres
et aduersum uos queri ceperint atque iurgari.
dicemus eis. Misereamini eorum non enim
rapuerunt eas iure bellantium atque uicto
rum. sed rogantibus ut acciperent non dedi
stis. et a uestra parte peccatum est. Fecerunt
que filii beniamin ut sibi fuerat imperatum.
et iuxta numerum suum rapuerunt sibi
de his que ducebant choros uxores sin
gulas. abieruntque in possessionem suam. e
dificantes urbes et habitantes in eis. Filii
quoque israel reuersi sunt per tribus et familias in
tabernacula sua. In diebus illis non erat rex
in israel. sed unusquisque quod sibi rectum uidebat
hoc faciebat. Incipit liber Ruth.

corea

IN diebus unius iudicis quando iudi
ces preerant facta est fames in terra. Abiitque
homo de bethleem iuda. ut peregrinare
tur in regione moabitide cum uxore sua
ac duobus liberis. Ipse uocabatur elime
lech. et uxor eius noemi. et duo filii eius
alter maalon. et alter chelion. ephratei
de bethleem iuda. Ingressique regionem moa
bitidem. morabantur ibi. et mortuus est
elimelech. maritus noemi. Remansitque
ipsa cum filiis. qui acceperunt uxores
moabitidas. quarum una uocabatur orpha.
altera ruth. Manseruntque ibi .x. annis. et
ambo mortui sunt. maalon uidelicet et chelion.
Remansitque mulier orbata duobus liberis ac
marito. Et surrexit ut in patriam pergeret cum
utraque nuru sua. de regione moabitide.
Audierat enim quod respexisset dominus populum
suum. et dedisset eis escas. Egressa est itaque
de loco peregrinationis sue cum utraque nuru.
et iam in uia posita reuertendi in terram iuda.
dixit ad eas. Ite in domum patris uestri. faciat
dominus uobiscum misericordiam. sicut fecistis cum mortuis
et mecum. det uobis inuenire requiem in domibus
uirorum. quos sortiture estis. Et osculata est eas.
Que eleuata uoce flere ceperunt. et dicere.
Tecum pergemus ad populum tuum. Quibus illa re
spondit. Reuertimini filie mee. cur uenitis
mecum? Num ultra habeo filios in utero meo.
ut uiros ex me sperare possitis? Reuertimini fi
lie mee et abite. iam enim senectute confec
ta sum. nec apta uinculo coniugali. etiam
si possim hac nocte concipere et parere filios. si
eos expectare uelitis donec crescant et annos
impleant pubertatis. ante eritis uetule quam
nubatis. Nolite queso filie mee. quia uestra an
gustia me magis premit. et egressa est manus
domini contra me. Eleuata igitur uoce rursum fle
re ceperunt. Orpha osculata est socrum ac reuer
sa. Ruth adhesit socrui sue. Cui dixit noe
mi. En reuersa est cognata tua ad populum su
um. et ad deos suos. uade cum ea. Que re
spondit. Ne aduerseris michi ut relinquam
te et abeam. Quocumque perrexeris pergam. ubi
morata fueris. et ego pariter morabor. Popu
lus tuus. populus meus. et deus tuus. deus meus.
Que te morientem terra susceperit in ea mo
riar. ibique locum accipiam sepulture. Hec
faciat michi deus et hec addat. si non sola mors
ac me separauerit. Videns ergo noemi quod ob
stinato ruth animo decreuisset secum pergere.
aduersari noluit. nec ultra ad suos reditum per
suadere. Profecteque sunt simul. et uenerunt
in bethleem. Quibus urbem ingressis. uelox
apud cunctos fama percrebuit. dicebant
que mulieres. hec est illa noemi. Quibus ait.
Ne uocetis me noemi. id est pulchram. sed uoca
te mara. hoc est amaram. quia ualde me

amaritudine replevit omnipotens. Egressa sum ple
na et vacuam reduxit me dominus. Cur igitur vocatis
me noemi. quam humiliavit dominus et afflixit
omnipotens? Venit ergo noemi cum ruth moabitide
nuru sua de terra peregrinationis suae: ac rever
sa est in bethleem quando primum hordea me
II tebantur. Erat autem vir elimelech consan
guineus. homo potens et magnarum opum. nomine
booz. Dixitque ruth moabitis ad socrum suam.
Si iubes vadam in agrum. et colligam spicas quae
metentium fugerint manus. ubicumque clemen
tis patrisfamilias repero gratiam. Cui illa re
spondit. Vade filia mea. Abiit itaque. et colli
gebat spicas post terga metentium. Accidit autem
ut ager ille haberet dominum nomine booz.
qui erat de cognatione elimelech. et ecce ipse
veniebat de bethleem. Dixitque messoribus.
Dominus vobiscum. Qui responderunt ei. Bene
dicat tibi dominus. Dixitque booz iuveni qui praeerat
messoribus. Cuius est haec puella? Qui respon
dit. haec est moabitis quae venit cum noemi de
regione moabitide. et rogavit ut spicas colli
geret remanentes. sequens messorum vesti
gia. et de mane usque nunc stat in agro. et ne
ad momentum quidem domum reversa est. Et ait
booz ad ruth. Audi filia. ne vadas ad colli
gendum in alterum agrum. nec recedas ab hoc
loco. sed iungere puellis meis. et ubi messue
rint sequere. Mandavi enim pueris meis ut
nemo tibi molestus sit. sed etiam si sitieris. vade
ad sarcinulas. et bibe aquas de quibus et pu
eri bibunt. Quae cadens in faciem suam. et ad
orans super terram. dixit ad eum. Unde hoc mihi
ut invenirem gratiam ante oculos tuos. et no
sse me dignareris peregrinam mulierem? Cui ille
respondit. Nuntiata sunt mihi omnia quae
feceris socrui tuae post mortem viri tui. et
quod reliqueris parentes tuos. et terram in qua
nata es. et veneris ad populum quem antea nescie
bas. Reddat tibi dominus pro opere tuo. et plenam
mercedem recipias a domino deo israel. ad quem
venisti. et sub cuius confugisti alas. Quae a
it. Inveni gratiam apud oculos tuos domine mi.
qui consolatus es me. et locutus es ad cor an
cille tuae. quae non sum similis unius puellarum
tuarum. Dixitque ad eam booz. Quando hora
vescendi fuerit veni huc et comede panem.
et intingue bucellam tuam in aceto. Sedit
itaque ad messorum latus. et congessit polentam
sibi. comeditque et saturata est. Et tulit re
liquias. atque inde surrexit. ut spicas ex mo
re colligeret. Praecepit autem booz pueris suis di
cens. Etiam si vobiscum metere voluerit ne prohibeatis eam.
et de vestris quoque manipulis proicite de indu
stria. et remanere permittite. ut absque rubo
re colligat. et colligentem nemo corripi
at. Collegit ergo in agro usque ad vesperam. et
quae collegerat virga cedens et excutiens. in
venit hordei quasi ephi mensuram. id est tres mo
dios. quos portans reversa est in civitatem. et osten
dit socrui suae. insuper protulit. et dedit ei de
reliquiis cibi sui. quo saturata fuerat. Di
xitque ei socrus. Ubi hodie collegisti? et ubi
fecisti opus? Sit benedictus qui misertus est
tui. Indicavitque ei apud quem esset operata.
et nomen dixit viri. quod booz vocaretur. Cui
respondit noemi. Benedictus sit a domino. quia
eandem gratiam quam praebuerat vivis servavit
et mortuis. Rursumque propinquus ait. noster est
homo. Et ruth. hoc quoque inquit praecepit
mihi. ut tamdiu messoribus eius iunge
rer. donec omnes segetes meterentur. Cui di
xit socrus. Melius est filia mi. ut cum puellis
eius exeas ad metendum. ne in alieno agro quis
piam resistat tibi. Iuncta itaque puellis booz.
et tamdiu cum eis messuit. donec et hordea
et triticum in horreis conderentur. Postquam
autem reversa est ad socrum suam. audivit III
ab ea. Filia mi. quaeram tibi requiem. et pro
videbo ut bene sit tibi. Booz iste cuius pu
ellis in agro iuncta es. propinquus est noster.
et in hac nocte aream hordei ventilat. La
vare igitur et ungere. et induere culti
oribus vestimentis. ac descende in aream. non
te videat homo. donec esum potumque fini
erit. Quando autem ierit ad dormiendum.
nota locum in quo dormiat. veniesque et dis
cooperies pallium quo operitur a parte pedum.
et proicies te. et ibi iacebis. ipse autem dicet tibi
quid agere debeas. Quae respondit. Quicquid
praeceperis faciam. Descenditque in aream. et fe
cit omnia quae sibi imperaverat socrus. Cumque
comedisset booz et bibisset. et factus esset
hilarior. issetque ad dormiendum iuxta acer
vum manipulorum. venit abscondite. et dis
cooperto a pedibus eius pallio se proiecit. Et ecce
nocte iam media expavit homo et contur
batus est. viditque mulierem iacentem ad pedes
suos et ait illi. Quae es? Illa respondit. Ego
sum Ruth ancilla tua. expande pallium tuum
super famulam tuam. quia propinquus es. Et
ille. Benedicta inquit es domino filia. et priorem

misericordiam posteriorem superasti. quia non es secu
ta iuvenes pauperes sive divites. noli ergo
metuere. sed quicquid dixeris mihi faciam tibi. Scit
enim omnis populus qui habitat intra portas
urbis mee. mulierem te esse virtutis. nec ab
nuo me propinquum. sed est alius me propinquior.
Quiesce hac nocte. et facto mane. si te volu
erit propinquitatis iure retinere. bene res acta
est. Sin autem ille noluerit ego te absque ulla
dubitatione suscipiam. vivit dominus dormi
usque mane. Dormivit itaque ad pedes eius
usque ad noctis abscessum. surrexit itaque ante
quam homines se cognoscerent mutuo. Et dixit
booz. Cave ne quis noverit quod huc vene
ris. Et rursum. expande inquit pallium tuum
quo operiris. et tene utraque manu. Qua ex
tendente et tenente. mensus est sex modi
os hordei. et posuit super eam. Que portans
ingressa est civitatem et venit ad socrum
suam. Que dixit ei. Quid egisti filia?
Narravitque ei omnia que sibi fecisset ho
mo. et ait. Ecce sex modios hordei dedit mihi. et
ait. Nolo te vacuam reverti ad socrum tuam.
Dixitque noemi. Expecta filia. donec vide
amus quem res exitum habeat. neque enim
cessabit homo. nisi compleverit quod locutus

IIII est. Ascendit ergo booz ad portam et sedebat ibi.
Cumque vidisset propinquum preterire de quo prius
sermo habitus est. dixit ad eum. Declina paulisper
et sede hic. vocans eum nomine suo. Qui di
vertit et sedit. Tollens autem booz. x. viros de se
nioribus civitatis. dixit ad eos. Sedete hic.
Quibus residentibus. locutus est ad propinquum.
Partem agri fratris nostri elimelech vendit
noemi. que reversa est de regione moabi
tide. quod audire te volui. et tibi dicere coram
cunctis sedentibus et maioribus natu de
populo meo. Si vis possidere iure propinquitatis
eme et posside. Sin autem tibi displicet hoc
ipsum indica michi. ut sciam quid facere de
beam. Nullus est enim propinquus excep
to te qui prior es. et me qui secundus sum.
At ille respondit. Ego agrum emam. Cui ait
booz. Quando emeris agrum de manu mu
lieris. Ruth quoque moabitidem que uxor
defuncti fuit debes accipere. ut suscites no
men propinqui tui in hereditate sua. Qui respon
dit. Cedo iure propinquitatis. Neque enim
posteritatem familie mee delere debeo. Tu
meo utere privilegio. quo me libenter care
re profiteor. Hic autem erat mos antiquus

inter israel inter propinquos. et si quando alter
alteri suo iure cedebat. ut esset firma conces
sio. solvebat homo calciamentum suum. et da
bat proximo suo. hoc erat testimonium cessi
onis in israel. Dixit ergo propinquo booz. Tolle
calciamentum. quod statim solvit de pede
suo. At ille maioribus natu et universo populo.
Testes vos inquit estis hodie. quod posse
derim omnia que fuerunt elimelech et ce
lion. et maalon. tradente noemi. et ruth
moabitidem uxorem maalon. in coniu
gium sumpserim. ut suscitem nomen defun
cti in hereditate sua. ne vocabulum eius de fami
lia sua ac fratribus et populo deleatur. Vos inquam
huius rei testes estis. Respondit omnis populus
qui erat in porta. et maiores natu. Nos te
stes sumus. Faciat dominus hanc mulierem
que ingreditur domum tuam. sicut rachel
et liam que edificaverunt domum israel. ut
sit exemplum virtutis in effrata. et habeat
celebre nomen in bethleem. Fiatque domus tua
sicut domus phares. quem thamar peperit iu
de. de semine quod dederit dominus tibi. ex hac pu
ella. Tulit itaque booz ruth et accepit u
xorem. Ingressusque ad eam. et dedit illi
dominus ut conciperet et pareret filium. Dixerunt
que mulieres ad noemi. Benedictus dominus
qui non est passus ut deficeret successor fa
milie tue. et vocaretur nomen eius in is
rahel. et habeas qui consoletur animam tuam.
et enutriat senectutem. De nuru enim tua na
tus est qui te diligit. et multo tibi est melior
quam si septem haberes filios. Susceptumque no
emi puerum posuit in sinu suo. et nutricis ac
gerule fungebatur officio. Vicine autem
mulieres congratulantes ei. et dicentes.
Natus est filius noemi. vocaverunt nomen
eius obed. hic est pater ysai. patris david. Hee
sunt generationes phares. Phares genuit
esrom. esrom genuit aram. aram genu
it aminadab. aminadab genuit naason. Na
ason genuit salmon. Salmon genuit booz. Bo
oz genuit obed. Obed genuit ysai. Ysai genuit
david. Incipit liber regum

FUIT vir unus de ramatha
sophim. de monte effraim et
nomen eius elchana. filius ie
roboam. filius heliu. filii thau.
filii suph. effrateus. Et habuit
duas uxores. nomen uni anna
et nomen secunde fenenna. Fuer